

Et ideo panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione Ejus et corpore non recedamus. Potest vero et sic intelligi, ut qui saeculo renuntiavimus, et divitias ejus et pompas fide gratiae spiritualis abjecimus, cibum nobis tantum petamus et victum, quando instruat Dominus et dicat: Qui non renuntiat omnibus, quae sunt ejus, non potest meus discipulus esse. Qui autem Christi esse coepit discipulus, secundum magistri sui vocem renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino praescribente et dicente: Nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua. Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia et contrarium sibi fit et repugnans, ut quaeramus in saeculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic et beatus Apostolus monet, formans et corroborans spei nostrae ac fidei firmitatem: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et muscipulam, et desideria multa, et nocentia, quae mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias, illic esse radicem malorum blandientium, caecitatem mentis humanae occulta deceptione fallentium. Unde et divitem stultum saeculares copias cogitantem, et se exuberantium fructuum largitate jactantem redarguit Deus, dicens: Stulte hac nocte expostulatur anima tua; quae ergo parasti, cujus erunt? Laetabatur stultus in fructibus ipsa nocte moriturus,